

CAP. III.

De

*Philosophia Sectaria incommodis & illaudabili conditione.*

I.

SI uspiam, hinc profectò valet illud Aristotelis II. Top. c. III. *Ἐναντία τὸ ἐναντίον ἀκροβαθεῖ*, h. e. *Oppositorum opposita sunt consequentia*: Sectariæ quippe Philosophiæ primò nulla est necessitas; cum, plurimis omnino ævo rationem excolendo Naturæq; arcana scrutando probè desudantibus, nulla ratio sanâ ratione utentem cogat uni soli, spretis cœteris omnibus, assentiri & mordicus adhærere. Sanè cum ne in revelatis quidem necessum sit, imò ne utile quidem, unius Jesaiæ aut unius Pauli scriptis acquiescere, quamvis neutra quicquam quod verum & infallibile non sit contineant; quæ, amabo, necessitas fuerit, aut in unius *Aristotelis* antiquissimis monumentis, aut in *Rami* cujusdam vel *Cartesii* scriptis recentioribus, hominum non fallibilium tantùm sed reipsâ non semel lapsorum, omnem veritatem Philosophicam quærendi? quid opus, aut hunc, aut illum, aut istum, in quibusdam, vel etiam in multis, feliciter & ingeniosè præeuntem, ita sequi in cœteris omnibus, ut ab eo divelli nos vel nunquam patiamur, vel ægerrimè? perinde ac si quis per omnem Italiam ab homine istarum regionum aditum viasq; ab in eunte ætate edocto feliciter circumductus, non alio postmodum quàm eodem duce, per Galliam etiam & Angliam, aut per Septentrionalia regna, quæ vel nunquam iste vidisset, vel obiter aliquando peragrasset, uti vellet.

II. Neque verò *non necessarius* tantùm, sed ne utilis quidem, imò perniciosus noxiusq; scientiarum augmentis est ille philosophandi modus, quo ducis unius authoritati fidere nimium, ac, si non omnia, saltem pleraque scitu digna ab eo